

sub terminologia «personae iuridicae publicae» non includuntur instituta vitae consecratae.

3) Tandem quae dicta sunt de institutis religiosis videntur valere etiam quoad societates vitae apostolicae et instituta saecularia. Vi can. 732 quae dicta sunt de institutis religiosis applicanda sunt etiam societatibus vitae apostolicae. Praeterea canones communes institutis vitae consecratae respiciunt etiam instituta saecularia.

VELASIO DE PAOLIS, C.S.

III

D. Utrum praesidis electio imponatur in canonicorum capitulis vi can. 509, § 1.

R. Negative¹.

Quoad praesidem (decanum, praepositum, archidiaconum, archipresbiterum, primicerium, scholasticum, etc.) capituli, tum cathedralis tum collegialis, et alia officia in eo constituta in Codice duos canones habemus.

Can. 507, § 1 sic sonat:

Inter canonicos habeatur qui capitulo praesit, atque alia etiam constituentur officia ad normam statutorum, ratione quoque habita usus in regione vigentis.

¹ Responsum Coetus Plenarii Commissionis CIC authentice interpretando (nunc Pontificium Consilium de legum textibus interpretandis) diei 24 februarii 1989 approbatum in audientia diei 20 maii 1989, promulgatum in AAS 81 (1989) 991; cf. *Communicationes* 21 (1989) 22.

Can. 509, § 1 statuit:

Episcopi dioecesani, audito capitulo, non autem Administratoris dioecesani, est omnes et singulos conferre canonicatus, tum in ecclesia cathedrali tum in ecclesia collegiali, revocato quolibet contrario privilegio; eiusdem Episcopi est confirmare electum ab ipso capitulo, qui eidem praesit.

Primus canon nihil dicit de institutione praesidis, alter prima specie clarus non apparet. Plures auctores, etenim, interpretati sunt canonem eo sensu quod praeses semper a capitulo eligi debet et ab Episcopo confirmatur². Commissio sua responsione declarat c. 509, § 1 non imponere electionem praesidis ab ipso capitulo. Quare statuta capituli, ut modum praesidis officii providendi, statuere possunt vel liberam collationem ab Episcopo dioecesano vel ab eodem institutionem, si praecesserit praesentatio, vel electionem, quae ab ipso Episcopo dioecesano confirmari debet (cf. cc. 147; 157; 158-179). Quod clare patet tum ex tenore c. 509, § 1 tum ex nova disciplina de capitulis.

Can. 509, § 1 dicit: «*eiusdem Episcopi est confirmare electum ab ipso capitulo, qui eidem praesit*», et non «*eiusdem Episcopi est confirmare praesidem, qui ab ipso capitulo eligendus est*». Canon simpliciter affirmat si praeses eligatur, ab Episcopo dioecesano

² Clare hoc modo canonem interpretatur a J.L. GUTIERREZ, in *Manual de Derecho Canónico*, Pamplona 1988, 342; J.I. ARRIETA, in *Código de Derecho Canónico* (ed. cum notis, curantibus P. LOMBARDIA-J.I. ARRIETA), Pamplona 1983, 353; alii auctores, etsi modo non claro, viderentur potius inclinare ad eandem interpretationem canonis (cf. J.M. PIÑERO CARRION, *La ley de la Iglesia*, I, Madrid 1985, 506-507; J.A. ALESANDRO, in *The Code of Canon Law - A Text and Commentary* (The Canon Law Society of America - curantibus J.A. CORIDEN-T.J. - GREEN-D.E. - HEINTSCHEL), London 1985, 409.

confirmari debet (cf. cc. 147; 178-179). Canon legendus est in connexione cum canonibus de provisione officii ecclesiastici libri I Codicis et iuxta mentem Concilii Vaticani II. Concilium vindicat necessariam libertatem Episcopi in officiis vel beneficiis conferendis (CD 28a) et c. 157 affirmat: «*Nisi aliud explicitè iure statuatur, Episcopi dioecisani est libera collatione providere officiis ecclesiasticis in propria Ecclesia particulari*». Can. 509, § 1 expressis verbis non statuit electionem ut solum modum provisionis officii praesidis capituli.

Iuxta Codicem 1917, inter dignitates in capitulis et simplices canonicatus distinguebatur: dum collatio dignitatum tum in capitulis cathedralibus tum in collegialibus Sedi Apostolicae reservabatur (c. 396, § 1), collatio canonicatus ad Episcopum, audito ipso capitulo, pertinebat (c. 403). Iam M.p. *Ecclesiae Sanctae* diei 6 augusti 1966 (I, 18) statuebat ipsam Apostolicam Sedem non amplius sibi reservare collationem officiorum aut beneficiorum, curatorum vel non, nisi sint consistorialia, ita ut Episcopus congrua libertate gauderet ad officia et beneficia, etiam non curata, conferenda³. Novus Codex non distinguit inter dignitates et canonicatus et modo generali statuit Episcopi competentiam conferendi quemlibet canonicatum, ideoque etiam illos qui dignitates appellabantur, revocato quolibet contrario privilegio (c. 509, § 1). Hoc modo implicite affirmatur modum usitatum provisionis officii praesidis capituli esse liberam collationem ab Episcopo dioecisano. Electio ab ipso capitulo haberi potest tantum si statuta hunc modum procedendi praevideant (c. 157).

³ Cf. AAS 58 (1966) 767.

Notandum est si statuta introduxerint electionem praesidis, manere iura acquisita praesidis libere instituti ab Episcopo diocesano. Praeses iam institutus manet in officio per tempus statutum in collatione⁴.

GIANFRANCO GHIRLANDA, S.J.

IV

D. Utrum in electionibus, ad normam can. 119, 1^o peragendis, adhuc requiratur in tertio scrutinio maioritas absoluta suffragiorum eorum qui sunt praesentes, an, excepto casu paritatis, maioritas relativa sufficiat.

R. *Negative ad primam partem; affirmative ad secundam*¹.

1. *In hoc can. 119, n. 1^o agitur de normis universalibus pro actibus collegialibus, et quidem circa electiones canonicas, peragendas*². Agitur de normis

⁴ Cf. L. CHIAPPETTA, *Il Codice di Diritto Canonico - Commento giuridico-pastorale*, I, Napoli 1988, 600.

¹ Responsum — iam sub novo nomine *Pontificii Consilii de legum textibus interpretandis* — in coetu plenario diei 8.5.1990. Approbatur a S.P. in audientia diei 28.6.1990. Publici iuris factum in *L'Osservatore Romano*, 5.7.90, 2; *Communicationes* 22 (1990) 11. *Promulgatur* in fasciculo diei 1.8.1990 in *AAS* 82 (1990) 845.

² Sane, non agitur de omnibus aspectibus electionum, de quibus Codex sub titulo IX: «*De officiis ecclesiasticis*», capite 1: «*De provisione*», articulo 3: «*De electione*», huius libri I.